

DE STERILIZATIONE (1) RELATIVE AD MATRIMONIUM

“Comparuit coram me H. B., volens matrimonium inire cum F. D. huius paroeciae. Praedictus H. B., auctoritate legis coactus, vasectomiam duplēm subiit. Nunc quaero a te: estne hic vasectomiacus *vere* et *absolute* incapax matrimonii? Quid in casu facere debedo”. E. L., parochus.

Duplicem quaestionem humanissimus parochus nobis proponit solvendam. 1.^a; An H. B. vasectomiacus, sit *vere* et *absolute* impotens in ordine ad matrimonium; 2.^a; Quomodo ipse parochus se gerere debat in casu.

Ad solutionem primae quaestionei scire oportet, cuius naturae sit sterilizatio de qua in casu agitur. Iam vero, medici Statuum, in quibus haec *iniusta* lex sterilizationis viget et qui ex mandato Gubernii in hospitalibus et clinicis huic operi incumbunt, non semel testati sunt, imo cotidie testantur sterilizationem virorum, vi legis ibi peractam, esse irreparabilem; alius verbis, redintegrationem communicationis testiculorum cum pene, attentis mediis, quibus hodie ars medica ad hunc finem uti potest, esse prorsus impossibilem. Agitur proinde in casu de vasectomia duplici *perpetua*.

Nunc autem: quaestioni, num haec viri sterilizatio constitutat *dirimens* matrimonii impedimentum necne, non uno modo DD. respondent.

Clar. P. Ferreres (2), in suo opere: “De vasectomia dupli et matrimonio mulieris excisae”, n.^o 21 ss., respondet affirmative: “quia ut vir sit *potens* requiritur inter alia ut *verum* semen intra vaginam mulieris vel saltem ad os eius emittere possit”. Alia affert argumenta petita; a) ex Const. Sixti V., “*Cum frequenter*”; ubi declarantur nulla matrimonia eunuchorum, qui in adulta aetate fuerunt castrati, quibus

(1) Plures scriptores sequentes et brevitatis gratia, voce “*sterilizatio*” utimur in nostro latino responso.

(2) Apud *Rasón y Fe.* Madrid, 1913; item *Comp. Theol. Mor. II*, n. 1.010.

assimilandi sunt nostri vasectomiaci, b) ex auctoritate notabiliorum nostrae aetatis canonistarum. Qui plura cupiat adeat ipsum in citato opere, ubi suam opinionem rationibus vere solidis stipatam inveniet. Eam tenent inter alios clar. P. Vidal, Gasparri, Marc-Gest. (3).

Aliter huic quaestioni respondent Clar. P. Woywod. O. F. M. (4) et alii. Secundum horum placita vasectomiacus est tantum *sterilis*. Nam ex testimonio medicorum constat, quod talis vasectomiacus potest obtinere in matrimonio finem secundarium, propter quem coniugium fuit institutum, remedium nempe concupiscentiae, sicut obtinetur ab aliis sterilibus, quibus non interdicitur unio coniugalis. Iam vero ex iure veteri, ex auctoritate scholasticorum praesertim St. Thoma et Bonaventurae, ex doctrina plurimorum theologorum posteriorum saeculorum in re morali peritissimorum haec tria edocemur: a) impotentiam coeundi irritare matrimonium; b) e contra, matrimonium esse validum, "etiamsi si vir generare non possit vel mulier concipere", c) dummodo possint obtinere finem secundarium, nempe sedationem concupiscentiae, quod praecise accidit in nostris vasectomiacis, qui capaces sunt obtinendi talem finem in coniugio.

Et inde sumitur responsio probationi ex Constitutione Sixtinae de sumptae; nam ratio cur Pontifex eunuchorum matrimonia nulla atque irrita declaravit, videtur esse hoc factum, sc., quod ipsi non possunt perficere actum coniugalem ita ut inserviat consecutioni finis secundarii coniugii, nempe placationi appetitus sexualis.

Quare decretum in hispanos latum non est applicandum iis qui ope vasectomiae steriles sunt facti.

Doctrinam hanc acerrime propugnant Clar. P. Vermeersch (5), G. Arend (6), C. Viglino (7) et alii.

Habes igitur duas opiniones vere probabiles, quae in iure antecodiali iam existebant. Codex vero item non diremit; sed nec S. Sedes

(3) VIDAL, 5, n. 232 ss.; GASPARRI, de Matr. I, app. de vasect., n. 7^o, 1932; Marc-Gest. II, n. 2.009.

(4) "Does Sterilization of a Man Constitute a Diriment Impediment to Marriage? In "Homiletic and Pastoral Review", v. 34, n. 6. March. 1934.

(5) De Castitate, ed., 1921; Theolog. mor. principia, responsa, consilia, t. IV, 1933.

(6) De genuina ratione imped. impot.; Ephem. Theol. Lovaniens, a. 1932, f. 1, p. 28-69, et 442-450.

(7) In "Il diritto ecclesiastico" (Milano), vol. 34, p. 1, ss.; v. 37, p. 163, ss.; v. 38, p. 149, ss.; 387 ss.; et v. 39, p. 313.

post ipsius Codicis evulgationem quidquam circa hoc edixit. Ergo *impedimentum impotentiae* nostri *vasectomiaci* est *dubium dubio iuris*; non enim certo constat utrum praedicta mutilatio afferat *impotentiam* proprie dictam, an *simplicem sterilitatem*.

Iam age: dispositio Codicis in casu est clara, nullo subiacet dubio. Siquidem c. 1035 hoc generale statuit principium: "Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur": Sed *vasectomiacus* noster iure non prohibetur contrahere matrimonium: Ait enim c. 1068 § 2; "Si *impedimentum impotentiae* dubium sit sive *dubio iuris* sive *dubio facti*, *matrimonium non est impediendum*". Unde H. B. ob rationem sterilizationis, quam passus est, non est impediendus a matrimonio ineundo cum F. D.

Nec obstat quod opinio in favorem impedimenti *impotentiae* in casu sit forte probabilior et agatur de materia Sacramentali; quia opinio contra impedimentum vere et solide probabilis est; et ideo iam conclusio perspicue constat ex allata dispositione Codicis, qui hoc statuit in materia sacramenti, quae est materia Ecclesiae subiecta. Praeterea, in casu matrimonium permitti debet, *tum* "quia ius naturale ad matrimonium possidet, *tum* quia in casu necessitatis sufficit etiam materia probabilis pro Sacmentorum administratione, et tandem quia, ut ait D'Annibale, p. III, § 447, nota 42: "Publice periculosum est in re dubia homines matrimonio prohibere"... Ob hanc rationem S. C. S. Officii saepius declaravit, v. gr. matrimonium non esse impediendum mulieri, cui chirurgus ovaria ac uterus abstulit ita ut sterilis inde evaserit" (8). Quae omnia plenam applicationem habent in nostro casu. Unde *tuta conscientia* permitti debet matrimonium *vasectomiaco* dupli- ci, donec Sta. Sedes aliter statuat.

II

2.^a Quaestio: Quomodo se gerere debeat parochus, cum coram eo aliquis *vasectomiacus* volens matrimonium contrahere comparet?

Ante omnia prudenter inquirere debet rationem qua sterilizationem subiit; sc. utrum ipse hanc operationem pertulerit salutis vel vitae

(8) GASPARRI, *De Matr.*, n. 220, a. 1932.

servandae causa, aut iniuste a lege coactus (9), an ob alium finem illicitum, puta prolis vitandae in matrimonio.

In primo casu—si Ordinarius loci aliquam normam generalem pro vasectomiacorum matrimonii iam dederit—sufficiet ipsi simpliciter eam servare. Si nihil circa hoc statutum fuerit, tunc parochus, si tempus adest, recurrat ad ipsum Ordinarium, non praecise ut hic dispensem, nam impedimentum dubium non urget, sed ut ipse declareret procedi posse ad matrimonium, non obstante illo dubio impedimento; hoc enim ad rei securitatem quam maxime inserviet. Qua Vicarii Generalis declaratione accepta, servatis in ea iniunctis—si aliqua specialia indicuntur—matrimonio assistet; sin autem, prout de more se geret in vasectomiaci matrimonio.

A fortiori recursus ad Ordinarium loci faciendus est *semper* in *secundo casu*, sc., si ob scopum vitiosum, puta prolis vitandae in matrimonio sese sterilizationi sponte submisit; tunc res est *valde gravior* etiam ex capite *consensus* in ordine ad valorem matrimonii.

Et sane sunt qui putant contractum matrimoniale esse nullum ex defectu consensus propter intentionem contrariae substantiae matrimonii, prolem nempe excludendi. Sed licet huiusmodi viri contractus coniugalis *per se* non sit invalidus ex capite vitiosi consensus—secus enim admittendum foret talem virum iam non posse habere consensum matrimoniale, quod est absurdum; quandoquidem consensus matrimonialis est actus a libera voluntate pendens—; tamen certe fatendum est grave in casu esse indicium contra debitam huius vasectomiaci intentionem ad contrahendum; quod indicium ex circumstantiis augeri vel minui aut destrui potest. Quare parochus in hoc casu practico per proprium Ordinarium S. C. S. Officii adire debet.

Idem dic in dubio utrum operationem sponte ob praedictum finem illicitum subierit necne.

(9) Quam iniuste haec operatio seu mutilatio a lege imponatur, videbis apud Enc. "Casti connubii" et apud auctores probatos Theolog. Moralis, ubi de V.^o praecepto Decalogi.

SUMMA SOLUTIONIS

1.^a Quaestio

Utrum H. B. vasectomiacus sit *vere et absolute* impotens ad matrimonium ineundum cum F. D.

- a) Agitur de vasectomia dupli irreparabili seu in qua communicatio testiculorum cum pene instaurari nequit.
- b) Disputatur: Utrum sit impedimentum impotentiae dirimens matrimonium aut mera sterilitas arte medica producta; ideoque impedimentum est *dubium dubio iuris*.
- c) Conclusio - quia in casu impedimentum non urget, matrimonium vasectomiaci H. B. cum F. D. non est impediendum.

2.^a Quaestio

Quomodo se gerere debet parochus in casu.

- a) Inquire prudenter. Utrum vasectomiam subierit infirmitate aut lege constrictus, an sponte, puta excludendi prolem in matrimonio.
- b) *In primo casu:* Si adest tempus, recurrat ad Ordinarium loci, a quo spectet declarationem impedimenti dubii ut secuarius matrimonio assistat.
- c) *In secundo casu, semper* parochus ad Ordinarium loci, et per eum ad S. C. S. Officii recurrere debet, ne forte in vasectomiaco adsit privata intentio contraria substantiae matrimonii.

AURELIO YANGUAS

Marneffe (Bélgica).